ſai docuerunt ſe maſtationibus ſuis mereri hominibus remiſſionem peccatorum & alia bona.

Quanquam autem errores papiſtici coetus multi ſunt, de quibus in vaticinio Danielis dicitur, tamen praecipue ſignificari prophanationes coenae Domini existimo, cum inquit, Deum Maoſim in loco ſuo venerabitur, & Deum quem ignoraverunt patres eius colet auro & argento. Panis geſtatur in auro & argento. Haec praecipua veneratio eſt. Et nomen Maoſim ſignificat munitiones, quia in conſtituitur, & retinetur hic cultus.

Eſt autem ſonus vicinus nomini Maozon quod ſignificat cibum ſeu placentam. Hoc enim Miſsae cibo multa millia sacrificulorum & Monachorum in papatu paſcuntur.

Propter haec horrenda peccata, & ſacroſanctae coenae dominicae prophanationem multis ingentibus calamitatibus, bellis, &